

*ex his oblivione potius quam memoria digna non dubitemus. Pluribus autem testibus comprobare poterimus, quod nemo nostris temporibus natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura etiam totaque corporis elegantia videretur fascibus imperialibus ipso aptior, si tamen in conflictu viciorum homo non degeneraret vel succumberet interior. Porro cum non pauci supersint idemque in sublimitatibus constituti, quos operum eiusdem viri cooperatio redarguit, unum est, quod, licet nimis timidi, suggerimus, quatenus ipsum condemnationis eius exemplum sibimet in remedium vertant, nec honoris prave consecuti florem, sed semen adtendant satiusque ducant malis plantariis eradicandis (cf. Matth. 15, 13) insudare quam fructum inde perpetuę mortis in futurum carpere. Alioquin desipere nimis est vulnus ferro plenum sanari credere, Deo simul et mammonę deservire velle (cf. Matth. 6, 24); monstrique simile est ex pharisaicę elationis fastigio ipsoque, ut dicunt, mercede sacrilegiorum ascenso apostolicę humilitatis dignitatem usurpare, ab apostasię semine fructum iherarchię sperare. Hęc hactenus. Deo autem gratias, qui, licet tarde, tamen permagnifice, victoriam concessit ecclesię suę, cui etiam eiusdem Nabuchodonosor quinquagesimum exactionis annum idem Galileus, qui Iulianum quondam vicerat, vertit in iubileum. Si quis*